PRISCA ROMA IN MEDICOS SVOS HAVD INIQVA.

ANNVENTE DEO
CONSENTIENTE GRATIOSO ORDINE MEDICO
IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
PRAESIDE

GEORGIO GOTTLOB RICHTERO D.

CONSILIARIO AVLICO ET ARCHIATRO REGIO
PROFESSORE MEDICINAE PRIMARIO
PATRVO SVO VENERANDO
PRO OBTINENDIS HONORIBVS MEDICIS
DIE XII SEPT. A. S. CIↃIↃCCLXIV
H. L. Q. C.
PVBLICAE DISQVISITIONI EXPOSITA

AVCTORE

AVGVSTO GOTTLIEB RICHTERO
ZORBIGA MISNICO

GOTTINGAE
EX OFFICINA SCHVLTZIANA, curante F. A. ROSENBVSCH.

HEROI IN TOGA

ILLVSTRISSIMO DOMINO

DOMINO

GERLACO ADOLPHO
DE MVNCHHAVSEN

DYNASTAE STRAVSFVRTI ETC.

POTENTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS
ET PRINCIPIS ELECTORIS BRVNSVICENSIS
ET LVNEBVRGENSIS

A SANCTIORIBVS CONSILIIS

STATVS REGII ADMINISTRO

CAMERAEQVE PRAESIDI

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTO

CVRATORI MVNIFICENTISSIMO

MAECENATI GRATIOSISSIMO

ILLVSTRISSIME DOMINE
DOMINE GRATIOSISSIME

Tua in *Georgiam Augustam* merita, ILLVSTRISSIME DOMINE, quae per ſingulos eius ciues, ingenti diuinae prouidentiae munere, ſe diffundunt, balbutientis etiam linguae ſoluunt vincula, et omnibus, quibus litterarum decus et ingenii cultus curae eſt, ne tentare ad TE aditum, et inter ipſa tot negotia, quibus indies implicaris, res TIBI ſuas commendare dubitent, metum excutiunt. Qui vltra quadriennium litteris medicis in hac academia operam dedi, nunquam ad fontes doctrinae, ex quibus hauſi, niſi oculo ad TE conuerſo, qui vt limpide fluerent, curaſti, et mente ad laudem Numinis, quod tam pro-

propenſam TIBI in Muſas voluntatem et mirabiles in iis ornandis ſucceſſus dedit, accenſa reſpexi. Huic TVAE indulgentiae tribues, ſi tantillum frugis, quod decerpſi, ſub deuotiſſimi animi ſenſu offerre audeo, et in ſpem ingredior, fore, vt tenuis ingenii agellus, in quo colendo pro viribus ſemper occupabor, ſub aura fauoris TVI promere in poſterum aliquid iſto fotu dignius poſſit. Faxit Deus, vt poſt tot alias in publica commoda impenſas operas iſto ſingulari, quod a vindiciis litterarum ſurrexit, gloriae TVAE monumento, aere perenniori et poſteris ſacro, in hac aetate ingraueſcente, quam TIBI mollem placidamque et rerum eximie geſtarum ſolatio plenam manus noſtrae ad coelum ſupplices expoſcunt, diu adhuc et ſoſpes fruaris. Hoc pium ſemper votum ſub pectore aeſtuabit

ILLVSTRISSIME DOMINE

deuotiſſimi Tui clientis
AVGVSTI GOTTLIEB RICHTERI.

THESES MEDICAE.

1. *Potiora ſunt in ſanandis morbis Naturae quam artis praeſidia.*
2. *Id probant morbi, qui exſpectatione ſanantur.*
3. *Plus etiam probant morbi, qui ab agyrtis, hoc eſt, inter crebros certosque errores, ſanantur.*
4. *Nec diſſimulari illa Naturae praeſidia in morbis poſſunt, ex quibus aegri inter audacia multorum medentum experimenta, hypotheſi ſeruientia, eluctantur.*
5. *His et illis nimium frequens eſt, meritis artis ſuae tribuere opus victricis Naturae, ſub ſiniſtra medicatione retardatum potius.*
6. *Duo ſunt Naturae et artis praeſidia, tutela virium coctionis, ea quotidie reparans, a quibus functionum vigor pendet, et tempeſtiua inſalubrium excretio.*
7. *Qui de hac poſtrema vnice cogitant inter perpetuas venaeſectiones, emetica, cathartica ſimiliaque, turbant nimis praeſidia coctionum, quibus euerſis exhauſtum corpus praemature ſuccumbit.*

DISQVISITIO HISTORICO MEDICA
DE
PRISCA ROMA
IN
MEDICOS SVOS HAVD INIQVA.

§. I.

Rudis et bellicoſa *Roma* ſero vacauit litteris, fortia pati et facere ſolita, ad curioſa autem, vt *Olai Borrichii a*) verbis vtar, ingenio et manibus *Graecorum* vſa. Horum certe cultior indoles etiam victores ſuos vicit et domuit, agreſtique *Latio* artes primum intulit, Flacco docente, qui tamen ruris adhuc manere veſtigia etiam politiori aeuo ſuo queritur. *b*) Nec Tvllivs diffitetur, ſuperiorem doctrina et omni ſcientiarum genere

a) *De ortu et progreſſu chemiae p. m. 35.*
b) *Ep. L. II. E. 1. v. 156. 157.*
Graecia capta ferum victorem cepit et artes
Intulit agreſti Latio. - - - -
- - - in longum tamen aeuum
Manſerunt hodieque manent veſtigia ruris,

genere *Graeciam* fuiſſe; at ne quid ſuorum ingeniis deroget, facile erat, inquit, vincere non repugnantes. *c)* Vnde vero torpor ille repugnandi, cum ad rectam viuendi rationem ſtudia ſapientiae pertinere, his vero cultum animorum et virtutum niti, ipſe vir ſummus agnoſcat? Latere contemtum haud obſcure prodit alio haud multum diſſimili iudicio, *Romanos* per ſe omnia vel ſapientius inueniſſe, vel accepta a *Graecis*, modo digna ſtatuiſſent, in quibus elaborarent, feciſſe meliora. *d)* Fuiſſent eius ſententia etiam *Romae Parrhaſii*, ſi honorem, qui artes alit, eundem *Romani* quam *Graeci* pictoribus habuiſſent. Fuiſſent citius muſici, philoſophi, geometrae, niſi ad famam inter ciues hoſtesque potiundam procliuior via viſa eſſet per victricia foris arma victricemque domi et in foro linguam. Neque vero hanc alteram gloriam, quae eloquentiae eſt, niſi ſero conſecuti ſunt. Celeriter, idem quidem T v l l i v s ait, oratorem complexi ſumus, ſed rudem ab initio, aptum tamen ad dicendum, poſt etiam eruditum. *e)* Verum primus orator, de quo memoriae proditum eſt, fuit *M. Cornel. Cethegus*, *f)* quem *Ennius* audiuit et Suadae medullam dixit, primus rhetor *L. Plotius*, *g)* qui puero adhuc *Cicerone* latine docere primum *Romae* adgreſſus eſt. Igitur cum haec ſtudia,

amata

c) *L. I. Tuſcul. Quaeſt. L. I. c. 1. Op. Ed. Erneſt. Vol. IV. p. 271.*
d) *Ib. c. 1. p. 270.*
e) *Ib. c. 3. p. 272.*
f) Ipſo teſte *Tullio* in *Bruto c. 15. Op. Vol. I. p. 581. 582.*
g) conf. *Euſeb. Chronic. L. poſter. ad Olymp 173, 1. Ed. Scalig. p. 150.* *Plotium Gallum* latine rhetoricen primum *Romae* docuiſſe ex verbis *Ciceronis* refert: *memoria teneo, pueris nobis primum latine docere coepiſſe Plotium quendam.* Atque is eſt, quem *Marius* magnopere dilexit, quod quae geſſerat, eius ingenio putaret celebrari poſſe, *Cic. pro Archia c. 9. Op. Vol. II. p. 880.*

amata deinceps et tantopere culta, vt in his fuam aetatem *Cicero h*) glorietur non multum aut nihil omnino *Graecis* cedere, tot demum feculis ab ortu ciuitatis efflorefcere coeperint, mirum non eft, ceteras artes et difciplinas etiam magis neglectas et in viliori pretio habitas effe, nec occurrere facile, fi belli gerendi artem excipis, quid fit illud, quod per fe *Romani* vel fapientius ipfi inuenerint, vel traditum a *Graecis* ad maius faftigium adduxerint? Stetit *Roma* trecentis annis fub paucis legibus, quae magiftratuum arbitria erant, nec deinde fub multis, quas a *Graecis* petierant. Stetit vltra quadringentos annos et nefciuit poetas, vel canere in epulis eo tempore folitos contemfit. Grammatices ftudium primus in vrbem inuexit *Crates Mallotes* tefte *Suetonio k*) fub obitum *Ennii*. Philofophiam iacuiffe vfque ad fuam aetatem fcribit *Cicero*, qui ipfe, quid in eo genere poffet, fenili exercitatione tentare aufus eft. *l*)

§. 2.

Igitur in barbaro illo prifcorum *Romanorum* aeuo, inter perpetuos armorum ftrepitus, omne artium et litterarum decus faftidiente, fi parum laeta medicarum rerum feges fe offert, haud maius inde probrum in illas redundare cenfeo, quam reliquas artes et difciplinas fub ifta caligine temporum, nulla fua culpa,

h) *Tuscul. Quaeft. L. 1. c. 3.*

i) Canebant in epulis conuiuae ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus. *Cato* vt probrum obiecit *M Nobiliori*, quod is in prouinciam poetas duxiffet: duxerat autem conful ille in *Aetoliam Ennium. Cic. Tufc. Qu. L. 1. c. 1. p. 271.*

k) *De illuftr. Grammatic. c. 2.*

l) *Tufc. Qu. l. c.*

culpa, ſed ſolo eorum, qui iuſto eas pretio aeſtimare nondum didicerant, dedecore neglectas. *Roma*, quo gradu ad frugem et mores, eo demum ad ſapientiae et ingenii cultum ſe contulit. Neque mirum videri debet, in prima vitae et victus ſimplicitate et maiori ſanitatis extra luxum et deſidiam conſtantia, vacuam diu vrbem a morbis et medicis fuiſſe, hos certe ad pauperem et frugalem gentem vix multum allici ſpe tam tenuis lucri potuiſſe. Quemadmodum vero ex fonte non vno morborum cauſſae, quibus exponimur, pullulant, inter quas vel barbari ad ſcopulos valetudinis ſuae attendere coguntur; ita ab omni aeuo cara fuiſſe exiſtimo, quae infirmitatibus corporis conſulerent, remedia, ſiue priuatis rudiorum temporum experimentis tumultuarie collecta, ſiue medica manu curatius inueſtigata et pedetentim in diſciplinae formam redacta. Millia gentium ſine medicis degere non tamen ſine medicina, ſcribit Plinius, *a*) ſicut ipſum vltra ſexcentos annos populum *Romanum*, haud alioqui lentum in accipiendis artibus, medicinae etiam auidum, donec expertam damnauit. Non vno, niſi fallor, haec boni viri verba vitio laborant. Mille gentes ſine medicis fuiſſe, quorum tamen antiquiſſima monumenta mentionem paſſim iniiciunt, *b*) aliorum in iſtis aetatum tenebris ſilentia

a) *Hiſtor Natur. L XXIX. c. 1. Ed Harduin. T. II. p. 495.*

b) Facile eſt, circa ignora et remota, quidquid ſiniſtra ſuſpicio ſuggerit, fingere Grauis *Plinio* labor futurus erat, millenas illas gentes, quae medicis caruerunt, enumerare De his enim ſumma paſſim antiquitas et plus ipſa rerum natura loquitur, coaeuum ſemper morbis fuiſſe ſtudium eos arcendi, in paruo primum et ſimplici rerum adparatu, ſed indies, cum ipſa neceſſitas hortaretur, creſcente. *Aegyptiorum* ſub *Hermete* nata medicina, quae quaquauerſum ſe diffudit, quid poteſt antiquius fingi? *Gryllus* apud *Plutarchum* ex communi rumore omnes *Aegyptios* dixit medicos

tia haud protinus contrarium euincunt, quis facile in corporis nostri tam fragilis et tot externis a vi irruente, tot internis laesionum iniuriis obnoxii, hinc ne ruat, inter perpetuas suppetias refouendi indigentia persuadebit? nec credet potius, de auertendis, in quae tam facile incidimus, valetudinis incommodis nunquam non serio cogitasse homines, et vt notitia rerum tum salubrium tum noxiarum plenius potirentur, in ambigua vulgaris et vagae nimis experientiae fide haud diu adquieuisse? Illos autem Martis pullos, quos ad accipiendas artes haud lentos fuisse *Plinius* iactat, vidimus omnino tot ab origine sua seculis nullam bonarum artium, quae pacis alumnae sunt et moratioris vitae custodes, certe perexiguam rationem habuisse. Quod addit, artem medicam auidius quidem admissam at mox damnatam esse, vno nititur *Archagathi*, Graeci medici, exemplo, et aspero *Catonis*, quippe vt *Graecis* ita eorum medicis infensi, iudicio. Nempe *Archagathum* illum

dicos esse. *Indos Strabo* scribit nullam artem tam exquisite coluisse quam medicinam, in aliis, vt bellicis similibusque, nimis exerceri, probrosum censuisse. *Geogr. L. XV. Edit. Almel. p. 1027. B.* *Sinenses* priscis etiam regibus suis inuentam medicinam tribuerunt *Persarum* ciuitatibus dari medicos iam *Cyrus* curauit, et ipse praestantissimos ad se acciuit. v. *Xenoph. de instit. Cyr. L. I. p. m 29.* Veteres *Gallorum* et *Germanorum Druidae* vt sacrificuli et iudices, sic et medici erant Hos nec priscorum *Scotorum* ante natum Christum secula ignorarunt. Rex *Iosina*, qui nonus fuit a *Fergusio I.* plus quam trecentis annis ante aeram christianam regnante) in summo honore medicos habuisse legitur, et reliqua nobilitate in regis mores eunte factum est, vt nemo esset in Scotia illustriori loco natus, qui rem medicam, inprimis curandorum vulnerum rationem nesciret. v. *G. Buchanan. Scot. Hist. L. IV Ed. Burmann p. 106* Nullo vnquam tempore, iudice *Fran. Vallesio* caruit medicina et medicis, aut carere potuit, hominum genus. *de sacr philos. p. m. 382. 383.*

lum idem refert PLINIVS c) primum e medicis *Romam* venisse, anno vrbis conditae quingentesimo trigesimo quinto. Verosimilius dixisset, nec id tamen tuto satis, primum e *Graecis* medicis *Romam* venisse, de aliis enim dudum praegressis paulo post dispiciemus. Interim ex ipso calculo illo, quo tempus *Archagathi* venientis *Plinius* definit, promtum est concludere, non per sexcentos annos, nedum vltra, *Romam* sine medicis vixisse. d) Pergit ille, datum *Archagatho* ius Quiritium et tabernam publico sumtu in compito *Acilio* emtam, et ab initio mire gratum accessum eius fuisse, at sensim a saeuitia secandi vrendique transiisse nomen in carnificem, e) taediumque in artem omnesque medicos. Haec autem postrema, quae a nullo alio auctore confirmata legimus, putat ille vt verissima intelligi ex *Marco Catone*, cuius verba ad filium citat, quae tamen de communi in medicos odio nihil, sed solo *Catonis* maleuolo in Graecos animo testantur. Gens illa, inquit, f) quandocunque litteras suas dabit, corrumpet omnia, tum etiam magis, si medicos suos huc mittet: iurarunt inter se, barbaros omnes necare medicina, et hoc ipsum mercede faciunt, vt fides iis sit et facile disperdant. Cum his conueniunt, quae PLV-

TARCHVS

c) *Hist. Nat. l. c. p. 495. Vl. Cassius Hemina* ex antiquissimis auctor est, primum e medicis *Peloponneso Romam* venisse *Archagathum*, *Lysaniae* filium, *L. Aemilio* et *Luc. Iulio* consulibus A. R. DXXXV.

d) *Il devoit se contenter dire plus de 500*, inquit *Sponius* dans les recherches cur. d'antiquité diss. 27. p. m. 442.

e) Carnifices dicti, qui e viuo corpore cadauer faciunt, nam mortuorum proprie caro est, quasi carens anima, vt *Donatus* vocem deriuat. Sic dicti olim sectores, quibus medici vsi, v. *C. Barthii adu. L. II. c. 14. p. 80.*

f) *Plinii Hist. Nat. l. c. p 495. VII.* Nec omittenda est inter caussas odii aemulatio, qua laudibus *Scipionis*, qui ingeniorum et litterarum amantissimus fouit *Graecos*, obtrectauit *Cato*.

TARCHYS habet, *g*) metuisse *Catonem*, ne infecti Graecis disciplinis Romani rerum imperio exciderent, ideo non infestum modo Graecis philosophis fuisse, sed et, qui medicinam Romae exercebant, suspectos habuisse, et audito *Hippocratis* responso, quem rex Persarum mercede multorum talentorum ad se acciuerat, nunquam daturum se operam barbaris, Graecorum hostibus, commune hoc dixisse medicorum iusiurandum omnium, et monuisse filium, vt ab omnibus caueret. Ita igitur morosus ille censor et male suspicax non medicinam damnauit, sed Graecos medicos, ob patriam, cui hostilem in Romanos animum tribuit, sibi inuisos. At velut vanissimum eius augurium fuit, Graecos omnia litteris suis corrupturos esse, cum verius lucem agresti Latio intulerint, ita atrocissima suspicio, ausuros medicos in tam luculento propriae salutis discrimine necare medicina sub specie officii, hos, inter quos viuendum erat. Adeo tamen, licet diffisus medicis, medicinam non damnauit *Cato*, vt coluerit ipsam tradideritque, qua medicina et se et coniugem vsque ad longam senectutem perduxerit, professus commentarium sibi esse, quo medeatur filio, seruis, familiaribus. *h*) Erant medicamina illa, vt fas est suspicari, ex veteris scholae *Pythagoreae* *i*) praeceptis

g) *In vita Catonis, Op. T. I. p.m. 350. B. C.*

h) *Plin. l. c. p. 496. VIII.* Meminit etiam commentarii huius, ex quo aegrotantem familiam curauit *Cato* et victus rationem praescripsit, *Plutarchus l. c. Op. T. I. p. 350. D.*

i) *Pythagoráeos* summo studio medicinae operam nauasse scribit *Aelianus var. hist. L IX. c. 22 p. m. 611.* Colebant maxime diaetetica teste *Iamblichio in vit Pythag. c. 29.* Ipse *Pythagoras*, qui medicinam rem diuinissimam dixit, circumisse vrbes legitur, non docendi

ptis, quae per Italiam diu ante inualuerant, petita, partim superstitiosa, vti sunt incantationes iam *Pythagoreis* aeque ac deinde *Catoni k)* laudatae, partim simplicissimae et culinares herbae, vt brassica, quam ante omnes *Pythagoras* celebrauit, neque vero parcius *Cato*, qui eam ad res cunctas salubrem ratus infinitis laudibus onerat. *l)* Par est diligentius haec prosequi, inquit PLINIVS, vt noscatur, qua medicina vsus sit sexcentis annis, quibus medicis caruit, populus Romanus. *m)* At arctiores illi Catonianae medicinae cancelli sunt, quam vt omnem retro artis ambitum iis metiaris. Certe *Plutarchus* illa ex parte commemorans, quibus *Cato*, qui natiuo robori plurimum debuit, valetudinem suam et suorum visus sibi est tueri, haud iis, inquit, videtur Deorum iram deuitasse: nam vxorem et filium amisit. *n)* Qui

scendi sed medendi caussa apud *Aelianum l. c. L. IV. c. 17. p. 369. Italicam* vero scholam *Crotone* erexit, vnde et medici *Crotonienses*, quos sub *Darii* imperio pro primis habitos esse *Herodotus* notat Hist. L. III. 131. Ed. Gron. p. 210. vicinis mature locis, et ipsi *Romae*, pedem intulerunt.

k) De re rustic. c. 16. Ed. Gesner. p. 121. 122. vbi in luxatis arundinem findere, manu tenere coxendices, et donec coeant, barbara ac incondita verba, in quibus nihil sani sensus, cantare iubet.

l) Ib. c. 156. 157. p. 114. ad 120. triplex ei species est, prima leuis, grandis, caule magno, altera crispa priori validior, tertia tenera, acerrima. Recenset easdem mutato nonnihil ordine *Plinius l. c. L. XX. c. 9. p. 200.* vbi prima caulodes nullius in medicina momenti dicitur, vltima, quae proprie crambe adpellatur, amarior sed efficacissima, media crispa *Catoni* maxime probata. Subiicitur vtrinque cumulus laudum, quem rudioris aeui admisit credulitas, post *Chrysippum*, qui totum de brassica volumen scripsit, *Dieuchen* aliosque, qui extulerunt virtutem, in adsensum pronior.

m) Hist. Nat. L. XX. c. 9. p. m. 199. XXX.

n) In vita Catonis Op. T. I. p. 350. D.

Qui ex fontibus *Plinii* non vbiuis limpidis sua hausit alter *Plinius*, dictus *Valerianus*, *o*) etiam arctius ad brassicam veteris Romae medicinam restringens ex ipso quasi *Catonis* ore refert, populum Romanum sexcentis fere annis medicina brassicae vsum. *p*) In reliquis propius vestigia senioris *Plinii* secutus, nondum, inquit, in vrbem commeauerant medici, qui in artem redigerent, quemadmodum magno sanitas constet; et peregrina secum pigmenta attulerant, vt illis imponerent pretia, quae vellent. *q*)

§. 3.

Tota omnino fabula cadit de sexcentis annis, quorum decursu *Roma* non vidisse medicos creditur. Rerum earum, quae ex vltima antiquitate eruuntur, nimis exilis nec sine lolio fabularum messis est. Neque auctores, quibus tenuis ex illa aeui caligine lux adfulsit, alia quam insigniora tantum nouae reipublicae fata et potiores rerum conuersiones strictim attigerunt. Vix in tam amplo campo et inter tot spinas excurrere satis licuit ad priuatas

o) Obscurus ille auctor prope aeuum Theodosii M male *Mercurialis* audiens, a *Reinesio* tamen defensus, nomen, quod gerit, nouissimis temporibus debet post repertum a *Paulo Iouio* epitaphium; cui C. Plinii Valeriani, medici, nomen inscriptum est, adeoque illi sine alia ratione tributum. v. Dan. le Clerc Hist. de la medic. P. III. c. 2. p. m. 648. sq. qui mallet titulum libri: *C. Plinius Secundus de re medica*, mutare in ignoti hominis excerpta ex C. Plinii Secundi libris de re medica. Nam nihil sunt nisi horum excerpta, si librum V. excipis.

p) In isto libro *de re medica L. IV. c. 39. Edit. Basil. Torini p. 68.*

q) Verba haec de laude brassicae subiicit: *ceterum militares viri gloriosas cicatrices gratuito olere curabant, eodem horto cura vsi ad salutem, dum illos pascit et sanat.*

natas res operasque ciuium ac prima surgentium artium rudimenta. Quoties tamen aliqua de graui morborum publice saeuientium strage dicendi occasio emersit, praeteriri penitus silentio non potuit, quid pro tuenda in tanto periculo incolarum valetudine tentatum sit, et quo successu? Iuuat in hoc obtutu oculos paulatim figere, et quae hic passim occurrunt, in compendio complecti. Quod sensus religionis etiam hodie in publici huius generis calamitate iniungit, ad pia prius Numina quam medicos confugere, id curae etiam priscis *Romanis* fuit, per sacras religionis ceremonias placare Deos, tanquam inflictis morborum, qui sub lue epidemica omnibus minarentur; poenis iustos commissorum criminum vindices. Variam superstitionem temporum hos ritus contaminasse *a*) nemo negat, at in gratiam mulcendae plebis et ad spem laetam erigendae facta non pauca esse, quae prudentiae leges suggesserunt, facile conuincimur. Hos enim, in quos oculatiores potior curarum illarum pars incubuit, sollicitos fuisse intelligimus, vt inter illa specie superstitiosa fontem simul, ex quo tantum malorum redundaret, cognoscerent propius obstruerentque

a) Non solum Deos sed et morbos tanquam diuinae irae ministros placandos esse putabant. Ita febri varia in vrbe fana dedicata sunt. v. *Valer. Maxim. L. II. c. 5. §. 16. p. m.* 173. confer *Plinium in Hist. Nat. L. II. c. 7. p. m.* 72. vbi numina reperiri ait in morbis et ipsis pestibus, quas placatas esse trepido metu cupimus. Circa morbos etiam priuatos Diis sibi aduersis alios sibi propitios opposuerunt. Contra *Syluanum* Deum, quem puerperis insidiari et iacentes noctu vexare credebant, tres vigilarunt in limine custodes, quorum erat primo limen securi ferire, postea pilo, tertio scopis deuerrere, dicti hinc Dii auerrunci, *Intercidonia, Pilumnus* et *Deuerra*, vt ex *Varrone* habet *Augustinus de ciu. Dei L. 6. c. 9.* Latuit fortassis sub his prouida cura, arcendi alios, quorum iustius metuenda lasciuia fuit, ab adeundis puerperis.

rentque, et inprimis salubritati vrbis abstersa spurcitie, et nunc exsiccatis paludibus, nunc ductis magno cum sumtu, quae tetram colluuiem eueherent, cloacis, irent consultum. In more positum erat, nunc per pontificem maximum coelestis irae piacula conquirere, nunc per decemuiros oracula *Sibyllina* consulere, nunc per consules *Apollini*, *Aesculapio*, *Saluti* dona vouere, nunc etiam per dictatores clauum figere aedi *Iouis*. *b*) Supplicationes ad puluinaria et aras valetudinis caussa, lectisternia in templis, lustrationes publicae et priuatae, ludi scenici aliaque non obscuro vinculo coniunxerunt, quae et reuerentia Deorum et fucus prudentiae humanae in fascinum plebis, tum etiam vera medici auxilii ratio postularent. Huius vt instituti vestigia quaedam relegam, placet in *Apollinis* et *Salutis* cultu, vnde exterorum et maxime *Graecorum* medendi rationem cito satis ad *Romanos* defluxisse constat, per momentum subsistere. Erat *Apollini* *c*) structa

b) De hoc officio pontificum, decemuirorum, consulum inter alios vide *Liuii Hist. L. XL. c. 37. Ed. Drakenb. p. 307*, de peste quondam clauo a dictatore sedata *ib. L. VII. c. 3. p. 479.* Figebatur clauus dextro lateri aedis *Iouis O. M.* ex qua parte *Mineruae* templum est. Hoc solenne munus clauum figendi *p. 482.* a consulibus ad dictatores translatum dicit, quorum maius imperium erat, et intermisso diu more rem per se dignam visam, propter quam dictator crearetur. Adeo interfuit fascinare plebem ipso hoc dignissimorum in republica virorum ministerio

c) Religiose semper a *Romanis* cultus *Apollo* est et multa consecutus templa aras ac cognomina, v. *antiqu Rom. Rosini et Dempsteri L. II. c. 7. p. 955.* Cum primum in vrbe lectisternia fierent in peste, per octo dies *Apollinem* aliosque Deos stratis lectis placauere. v. *Liu. L. V. c. 13. p. m. 60.* De simili lectisternio per triduum, v. *L. XX. c. 10. p. 550.* De aede *Apollinis* pro valetudine populi vide *L. IV. c. 25. p. 955*, de aede *Apollinis medici ad Tiberim L. XI. c. 51. p. 536.* Multis seculis haec aedes stetit, saepe reparata, conf. *Gruteri inscript. XXXVIII. 6.*

cta iam aedes A. V. CCCXXI. et ſub nomine *Apollinis medici* A. V. DLXXIV. *Saluti* aedem, quam conſul in bello *Samnitium* vouerat, dedicauit *C. Iulius Bubulus* cenſor A. V. CCCCL. *d*) Conuenit *Salus* cum *Hygeia Graecorum*, et *Iſide Aegyptiorum*, hanc vero a toto orbe coli ob praeſens in medicando numen *e*) gloriatos eſſe *Aegyptios* DIODORVS SICVLVS commemorat. Atque hanc *Iſidem* recepit quoque ſenatus *Romanus* ab *Aegypto*.

Nos in templa tuam Romana recepimus Iſin. f)

Et quam ſolemnis in peſte legatio fuit, quae *Aeſculapium* ab *Epidauro g*) *Romam* A. V. CCCLXII euocauit! Cum anguem, ſub quo tanquam ſigno latuiſſe Numen e ſedibus ſuis elapſum et per medios decem legatos in triremem *Romanorum* et primi legati *Ogulnii* cubiculum tranſiiſſe, egreſſum tandem in Inſula *Tiberina*, quaſi fixam hic ſedem poſtularet, populo perſuaſiſſent, dicata hoc loco aedes eſt; et peſtis deſiit. *h*) *Plinius* circa res medicas ſemper in ſiniſtram coniecturam pronior, in aede extra vrbem poſita

d) *Liu. L. IX. c. 43. p. 1018.* quod *Romanis* ſalus, maxime Graecis erant Θεοὶ σωτῆρες

e) διὰ τὴν ἐν ταῖς θεραπείαις ἐπιφάνειαν. *Diod. Sic. L. I. Ed. Weſſeling. T. I. p. 29*, vbi et Φάρμακον ἀθανασίας Iſis reperiſſe dicitur.

f) *Lucan. pharſal. L VIII. v. 831. p. m. 667.*

g) Ex *Epidauro*, vbi genitus *Aeſculapius*, tranſiit eius cultus ad alias plures gentes. v. *Pauſan. Corinth. p. m. 60*, maxime ad *Cyraeneos* et *Pergamenos*, ab his ad *Smyrnaeos*. *Pergamenum* templum ſenſim caput extulit prae *Epidaurio ſeculo III*, vbi *Caracalla Pergamenum* iuit, et curationibus *Aeſculapii* vſus ſomnia captauit, quamdiu voluit. v. *Herodian L. IV. c 8. p. m. 195.*

h) v. *S. Aurel. Victor. Hiſt. Rom. breuiar. Edit. Pitiſc. c. 22, p. 107.* Subiicit: *peſtis mira celeritate ſedata eſt.*

posita aliquam fastidii notam, quae propius commercium fugeret, sibi deprehendere videtur. *i*) At legatio tam splendida, cum pestis, vt *Liuius* *k*) ait, vrbem et agros clade portento simili vreret, ipsis Diis consultis decreta, suspicionem hospitii parum honorifici vt friuolam damnat. Si fabulosa adparet ratio, locum, in quem egressus ex naui Deus fuit, datum templo eius fuisse, illa tamen, in quam pronior *Plutarchus* *l*) est, magna probabilitate non caret, digniorem salutari Numine sedem extra vrbem visam esse, quod omnino salubrius sit, extra vrbem viuere. Hinc et *Graeci* locis puris et sublimioribus, quibus sacri luci adiacebant, sacrarium *Aesculapii* posuerant, illud etiam *Epidauri*, vnde *Roma* petiit, quinquies mille ab vrbe passibus absuit. Verum, quod scopo nostro longe propius est, id maxime attendi velim, *Apollinem Romanum* et *Aesculapium* cum suis sacerdotibus, quorum in re medica versatissimorum ore illa Deorum oracula medica profluxerunt, exemplum *Graeci* instituti esse, quod in medicinae ortu nihil humile nihil non diuinum agnouit. Docent *Gruteri* tabulae votiuae, et quas ex *Maffei* marmoribus *Mercurialis* collegit, *Aesculapium* in insula *Tiberina* similem quam in *Epidauro* cultum habuisse; nam ibi etiam suspensis in templo tabulis inscriptum

i) *Hist. Nat. L. IX. c. 1. p. 496. VIII.* Antiquos scribit non rem damnasse sed artem, et immanem quaestum, ideo templum *Aesculapii*, etiam cum reciperetur Deus, extra vrbem fuisse, Iterumque in insula.

k) *Hist L. X. c. 47. p. 187.*

l) *Quaest Rom. Op. T. II. p. 286.* vbi varias caussas huius aedis extra vrbem positae attingit, inter quas non est illa *Plinii*. *Sext. Pomp. Festus* ideo putat *Aesculapii* aedem in insula positam, quod aegroti a medicis maxime aquis sustententur. *De verb. signif. L. IX. Ed. Dacier. p. 188.*

ptum fuit, quidquid auxilii medici consultus *Aesculapius* ore sacerdotum suorum impertiit. Optabile esset, ex omnibus templis descriptiones tabularum superesse, ita enim de antiquorum medendi methodo plenius constaret. Erant sacerdotibus *Aesculapii* commodae in templis habitationes, et eximii e sacrificiis et aegrotorum muneribus reditus, praeparabant in templis medicamina et distribuebant, inter suos artis praecepta propagabant, et ne in dedecus Numinis sui responsa cederent, caute versuteque omnem scenam instruebant, *m*) In votis *Galeno* erat, vt ad se aegri tam pleni fiducia et obsequio accederent. A primis temporibus ad *Antoninorum* aetatem non modo in *Graecia* sed et *Italia* hunc morem perdurasse, liberatos a morbis aegris illis templorum tabellis inscribendi, docet *Hier. Mercurialis n*) et tabulam citat marmoream *Romae* in *Aesculapii* templo *Tiberino* inuentam inque hunc diem a *Maphaeis* conseruatam. Quod et in *Isidis* templo factum esse, de quo superius dixi, non male ex his *Tibulli o*) versiculis colligit:

Nunc

m) Cuius rei exemplum esse potest, quod *Philostratus* habet in vita *Apollonii Tyan L. I. c. 9. Ed. Olear. p. 10. 11.* Consuluerat iuuenis luxu et crapula hydropicus, sed responsum non tulerat nisi hoc demum, vt rationem, cur negaretur, ex *Apollonio* audiret. Hic Deum iis, qui vellent sanari, dare sanitatem dixit, non qui morbum alerent. Opus certe fuit, ne angustos artis limites proderent, praestigiis interdum vti et imposturis, quibus passim oculati viri illuserunt. Et hoc erat signum prudentiae, quod vetitum esset intra templi septa quemquam mori. *Pausan. Corinth. p. m. 60.*

n) *De arte gymnastic. L. I. c. 1. p. 2. 3. 4.* vbi varios morborum casus enumerat.

o) *L. I. Eleg. III. v. 27. 28. p. m. 60.* Lapidum quoque inscriptorum fidem hic fulcit *Gruterus in thes. p. LXXXII. 6. et p. LXXXIV. 8.* conf.

Nunc Dea, nunc ſuccurre mihi, nam poſſe mederi,
Picta docet templis multa tabella tuis.

Haec omnia facile confirmant, conſulta medica, quamuis ſine dubio hominum eſſent, quorum intererat ſub tutela imo in ipſo quaſi inſpirantium Deorum contubernio rebus medicis vacare, reuerenter tanquam diuinae originis habita eſſe. Verum etiam extra illa fuerunt *Romae* medici, a quibus ſine Deorum adflatu fauor ciuium ſimilia valetudinis praeſidia exſpectauit, idque ante *Archagathi* aeuum. In peſte, quae A. V. CCLXXXII *Romam* grauiter adflixit, virulentum mali genium aduerſus adhibita medicamina et morborum praeſidia coarguit *Dionyſius Halicarnaſſeus. p)* Ergo medica manus, quae illa miniſtrauit, haud defuit. De alia etiam atrociori peſte A. V. CCCI, quae mediam abſumſit incolarum partem, diſerte teſtatur, in tanta aegrotorum multitudine non ſuffeciſſe medicos nec domeſticorum et amicorum miniſteria. *q)* Sed de his plura paſſim alii.

§. 4.

ϑ. conf. *Iac. Sponium l. c. p. 365.* it. *Th. Reineſii ſyntagm. Cl. I. 132.* Sane mos ille, vt antiquiſſimorum iam fuit *Aegyptiorum*, ita nec noſtri aeui exempla deſunt. Hodie in inſula Occidentali apud *Floridanos* ſacerdotes ſimili funguntur medicorum officio, v. *Melton Zee en Landreiſe p. 179.*

p) *Antiqu. Rom. L. IX, p. 599.* peſtem ſcribit *Italiam* peruagatam ſed nusquam quam *Romae* infeſtiorem fuiſſe, nihil hic humanam opem profeciſſe, ſed aeque periiſſe, quibus nulla et quibus magna cura impenſa.

q) *Ib. L. X. p. m. 677.* ὄτε τῶν ἰατρῶν ἀρκέντων ἔτι βοηθεῖν τοῖς κάμνουσι, ὄτε οἰκείων ἢ φίλων τὰ ἀναγκαῖα ὑπηρετούντων. Ita, addit, πολλὰς οἰκίας ἐξερημωθῆναι δι᾽ ἀπορίαν τῶν ἐπιμελησομένων.

§. 4.

Totum hoc probrum, ſero *Romae* medicos fuiſſe, in quo diluendo poſt aliorum impenſas operas iuſto diutius ſubſtitimus, parui in ſe momenti eſt, nec fortaſſis multo maioris, vrbe aliquando pulſos eſſe, et diu in ſeruili conditione vixiſſe. Alterum ex his, nempe exſilii commentum, dudum exploſum eſt, nec, ſi explodi non poſſet, plus veri probri contineret. Ridiculum eum PLVTARCHVS *a)* vocat, qui exſilium cum ignominia coniunctum eſſe ſibi perſuadet. PLINIVS autem etiam huius fabulae auctor videri poteſt, rem enim geſtam verbis dubii ſenſus ita exponit, *Romam*, cum *Graecos Italia* pelleret, medicos excepiſſe. *b)* Excepiſſe enim hic forte non eſt ab exulum numero exemiſſe, ſed nominatim medicos, vt cum *Graecis* pellerentur, deſignaſſe. *c)* Quamuis enim pronior alter vocis ſenſus et frequentior ſit, in quo CAR. DRELINCVRTIVM *d)* exſultare video, nec male ad verba eodem ſenſu allata SVETONII prouocare liceat, qui ſub *Auguſto* in graui ſterilitate agrorum

et

a) γελαιός ἐστιν νομίζων ἀδοξίαν τῇ φυγῇ προσεῖναι. De exſil. *Op. T. II. p. 605. D.* multos ibidem ait fuiſſe exules, magnae poſt mortem famae, cum nulla eorum ſuperſit, qui in exſilium egerunt. Quis non mallet *Themiſtocles* eſſe, patrium ſolum vertere coactus, quam *Leobatus*, qui de eo eiiciendo retulit? quis non *Tullius* potius quam *Clodius?*

b) Hiſt. Natur. L. XXIX. c. 1. p. m. 496. VIII. 11.

c) v. *Harduini notam ad illum locum Plinii p. 496. n. 5.*

d) In apolog. med. contra calumniam, medicos 600 annis Romae exulaſſe. Op. P. II. p. m. 408. vbi haec *Plinii* verba tanquam aurea, et quae omnem litem dirimunt, vncialibus litteris cedro conſignanda conſiderat. Quo etiam ſenſu quaſi medici exemti fuerint a ſententia exilii, *Iac. Sponius* verba illa *Plinii* ſumſit *dans les recherches d'antiquité p. 441.* Ita multi alii, vt *H. Lampe in diſſ. de honor. priuil. et iuribus ſingul. medicorum p. 83.* ad finem.

et difficili remedio multos vrbe eiectos eſſe et peregrinos omnes exceptis medicis et praeceptoribus, teſtatur; *e*) in illo tamen *Plinii* loco nimis a cauſſa medicorum fauor abeſt, quam vt valde dubitem, medicos tanquam communis odii reos ſub decreti exſilii ſententia comprehendi. Salua tamen res eſt, nec alio praeter *Plinium* teſte ſubnixa, repugnante potius omni aetatis illius teſtimonio, quo *Romae* poſt *Catonem* nunquam abfuiſſe medicos, res vero et fortunas eorum indies effloruiſſe edocemur. Vulgarium ſcriptorum turba veſtigiis HENR. CORNELII AGRIPPAE *f*), qui fabulam illam primus diſſeminauit, inſiſtens, haud recenſitis verbis *Plinii*, quae aliquem etiam inde colorem mutuantur, quod cognitum ſit, vrgente annona ſaepius pulſos peregrinos eſſe, quorum omnino numero medici, quippe maximam partem peregrini, contineri poterant, ſed potius illis nititur, quae ſuperius recenſuimus, *Romanos* nempe in accipiendis artibus haud lentos, medicinae etiam auidos fuiſſe, donec compertam damnarent. Damnaſſe hic idem temerariis illis interpretibus eſt, quam ipſo ſenatus conſulto, cuius nuſquam veſtigium exſtat, eieciſſe medicos, cum ſine dubio hoc vnum notet, artem, quam veniente *Archagatho* benignam et ſibi valde optabilem exſpecta-

e) *In vita Auguſti c. 42. p. m. 253.* it. *Dion. Caſſii Hiſt. L. IV. Edit. Reimar. p. 566.*

f) Pulſis ſaepe peregrinis illo et magis ſubſequenti aeuo male *Romani* audiuerunt. *Libanius Orat. XI. ſ. Antiochen. panegyr. Op. T. II. p. m. 366. Nullo*, inquit, *tempore coacti ſumus ius hoſpitale violare per ſaeuitiam erga peregrinos, quos Romae expulit, quoties raritas neceſſariorum ad victum eſſet.* Ita *Themiſtius Or. 6.* gaudet ſuis non continua peregrinorum expulſione opus eſſe, vt in metropoli *Roma.* Iure vocat φάρμακον τῆς ἐνδείας χαλεπώτερον.

ſpectauerant, mox vrendo ſecandoque cognitam, vt inhumanam et crudelem, abhorruiſſe. Nempe coeperat medicina chirurgica ſub manu *Archagathi* generoſiora et efficaciora remedia tentare, cum leniora antehac et ob lenitatem inertiora in vſu fuiſſent. Mirum non erat, illa cultioris apud *Graecos* artis ſpecimina, antequam de virtute et ſalubritate eorum plenius conſtaret, terroris aliquid ſub primo adparentis ſaeuitiae conſpectu peperiſſe, hosque, qui blandis olim fotibus vnguentisque, ſcilicet imbelli aduerſus grauiores laeſiones armatura, molliter tractari conſueuerant, manum iam ſecantem vrentemque formidaſſe, vt paulo poſt ipſe *Marius*, dura licet facere et pati ſolitus, cum varicoſis cruribus laboraret, alterum crus ſecantis medici arbitrio permiſit, alterum iam perſpecta experimenti ſaeuitia poſtulanti negauit, remedium ratus deterius, quam malum, quo laboraret. *g*) Neque vero *Archagathum* neque alios, ſimilem fortaſſis medendi rationem ingreſſos, licet ad tempus opinio crudelitatis, quam in opere medico damnabant, premeret, ideo vnquam vrbe pulſos fuiſſe legimus. At non dubitauit Agrippa *h*) temere pronuntiare, *Romanos* ſub *Catone Cenſorio* medicos omnes et vrbe *Roma* et tota *Italia* pepuliſſe. Audax ſane aſſertum, quod voce primi auctoris tam ambigua nititur, iteratum tamen ab aliis multis, qui ex fonte tam turbido hauſerunt, quin et nouas coniecturarum ſordes adſperſerunt. Miror, Theodor. Ianss. *ab* Almeloveen in ſcrutinio alioqui doctae antiquitatis probe verſatum *Catoni* latam

g) *Plutarch. in vita Marii. Op. T. I. p. m. 408.* Extollit tolerantiam *Marii*, quod in crure vno tantos dolores vultu immoto et ſine gemitu ſuſtinuit. Plus miror mollitiem tanti viri, quod idem in altero ſuſtinere extimuit.

h) *De incertitud. et vanit. ſcient. c. 83. p. m. 196.*

latam legem tribuere, qua cauit, ne medicus *Graecus* aut *Arabs* aut *Aegyptius* vrbem intraret, feueriffime obferuatam ad *Archagathi* acceffum. *i*) Quam ineptus eft temporum calculus, illud exilium, quod ad *Archagathum* vfque duraffe creditur, *Catoni* tribuens, qui fub illius aduentu puer quindecim annorum fuit, ipfe quidem femper in *Graecos* eorumque medicos ex dicta ratione iniquior, fed afperis etiam verbis, quibus fecundum *Plinium* filio interdixit de medicis, fimul docens, etiam tunc in vrbe fuiffe medicos: nam contra abfentes et exules qua opus erat cautione? qua, ne eos confuleret, dehortatione? Cum vero error errorem generet, factum eft, vt fabula exilii cum illa fabula fexcentorum annorum in vnum coalefceret. Scilicet opportunum erat, annos fexcentos, quibus *Plinius*, nec fine errore dixerat, *Romam* medicis caruiffe, pro ipfo exilii interuallo interpretari. Mirabile exemplum, modo fingere fas fit, exilii fub ipfis *Romae* incunabulis nati et fingulari procerum confenfu per tot fecula contra artis tam falutaris cultores propagati! Ad haec refpondere velle, quid eft, nifi otio abuti et cum vmbris colluctari? *k*)

§. 5.

Nondum hucufque prifca *Roma* in medicos iniquior adparuit, at natam a feruili conditione maculam quomodo delebit? Hanc

i) *Inuent. nou. antiqu. §. 4. p. 12.*

k) Bona fide alii alios fecuti funt, et ipfi quidem medici, vt *Befold. in thef. pract. p. 49.* Ipfe vero auctor libelli *medicus Romanus feruus 60 folidis aeftimatus. p. 6. et 7.* dubitat de fabula exilii, an quis ferio illam adferuerit, nifi forte exilii voce contra communem loquendi rationem valde abufus, aut rerum *Romanorum* parum gnarus fuerit.

Hanc nec delere totam vel diffiteri, nec agnofcere totam fas eft, neque illud largiri, plus femper verae maculae in feruitute effe quam dominatu. Natura et virtus nunquam, fed quae vtriusque iura toties violat et merita conculcat, finiftra fortuna feruos parit. Quae vero vnquam res et difciplina tam fancta et inuiolabilis exftitit, vt cum aduerfo fato non luctata aliquando fit, et communem viciffitudinis fortem experta? Erant ferui, qui id fati non meruerant, apud alios paffim populos, et ipfos cultioris alioquin ingenii *Graecos. Athenienfes* quidem cauebant fedulo, ne vrbs feruis repleretur, et merito iudicabant, rerum artiumque vtilium ftudia liberos homines decere, et figillatim, ne rem medicam feruus attingeret, lege prohibebant. *a*) At *Lacedaemones* contra nihil rei militari dignius rati, quidquid ad vitae neceffitatem et commoditatem faceret, per fervos agebant. Ita *Romani*, qui vagorum ab initio hominum, ne latronum dicam, colluuies erant, cum quibus honeftiores gentes connubiorum mifcere iura renuerent, vnicam in vi et armis gloriam collocabant. *Romulus* duplex tantum indigenarum ftudium effe voluit, rei militaris et rufticae, *b*) artes fellularias fimilesque feruis et peregrinis reliquit. *bb*) *Numa* quidem religionis et iuftitiae fanctiora vincula iniecit, et collegia artium inftituit,

a) *Hygin. fabul.* 74. *p. m.* 201. Cauerant Athenienfes, ne quis, feruus aut femina medicinam difceret. Emendata deinde lex eft, vt ex ingenuis feminis difcere eam praeeunte *Agnodice* liceret.

b) *v. Dionyf. Halicarn. Antiqu. Rom. L. II. p.* 98, 27. Τὰ κατὰ γεωργίαν καὶ τὰ κατὰ πολέμους.

bb) *ib.* ἐπιδιφρίους καὶ βαναύσους τέχνας δούλοις καὶ ξένοις ἐπέδωκε. Addit, longo tempore *Romanis* talia tractare pudori fuiffe.

ſtituit, *τὴν κατὰ τέχνας διανομήν*; *c*) ſub *Tullio* autem *Hoſtilio*, qui militare decus inſtaurauit, aliarum extra illud rerum faſtidium recruduit. *Tarquinius* collegia etiam ſuſtulit, donec ſucceſſu temporum plebs in patricios inſurgens ſibi tribunos, et per eos honorum, ſacerdotiorum et ſuffragiorum iura, reſtitutis ſimul collegiis, extorqueret. Neque vero veteres *Romani*, quibus in more poſitum erat, exteros quosuis ſine natalium et conditionis diſcrimine inter ciues ſuos recipere, *d*) et quotquot vellent, rerum domeſticarum taedio in aliis locis adfectos ſibi ſociare, poterant abundare ſeruis, praeſertim cum captis in bello vrbibus nec necarentur puberes nec venundarentur, ſed in partem agrorum ſorte diuidendorum, tanquam coloni *Romani*, venirent. *e*) Erat quidem triplex ſeruorum genus, cum alii ex publica belli praeda venderentur ſub haſta, alii ab ipſis dominis ſuis in bello capti, vnde mancipiorum nomen, alii ab iis, qui cepiſſent, emti ſeruire cogerentur, ita tamen, vt et tunc non aegre ſua potiri libertate poſſent, plurimi gratis ob meritum probitatis et honeſtatis, pauci pretio. *f*) Atque illos manu miſſos ſuaſit *Seruius Tullius* et perſuaſit patriciis, dato ciuitatis iure in quatuor tribus vrbanas diſtribuere. *g*) Igitur primis a condita *Roma* ſeculis medicos, quibus

c) Prae reliquis *Numae* inſtitutis commendatur illa populi per artificia diuiſio apud *Plutarch. in Num. Op. T. I. p. 71. C. D.*

d) *Dionyſ. Halicarn. Ant. Rom. L. IV. p. 225, 49.*

e) *Ib. L. II. p. 88. 89.* Haec *Romuli* inſtituta a ſucceſſionibus ſeruata effecerunt, vt *Romanorum* ciuitas nulli genti, vel populoſiſſimae, numero hominum cederet.

f) *Ib. L. IV. p. 227.* Fatetur autem ad ſordes et ignominiam poſtea degeneraſſe *Romanorum* circa haec probitatem.

g) *Ib. L. II. p. 89.* Ita cum *Lacedaemones* poſt pugnam *Leuctricam*, *Athe-*

bus in bellorum periculo verſari et capi tam procliue non fuit, in ſeruili conditione vixiſſe haud facile ſuſpicamur, inter peregrinos vero, quibus lubenter incolatus cum exercitio artium ſuarum conceſſus fuit, locum reperiſſe, dubio eo magis caret, quod *Roma* ab initio omnibus aſylum eſſet, blandeque et humaniter aduenas ſuſciperet et iura ciuium conferret, imo haec nec iis negaret, qui capti in bello vellent cum ſua gente coniungi, vnde tam ſubita virium augmenta nata. Laudat *Romanos* veteres DIONYSIVS HALICARN. tanquam aequiores in peregrinos, hinc rebus ſuis egregie proſpicientes, cum *Lacedaemones* et alii *Graecorum* ad retinendam generis nobilitatem nullos vel certe raro ad iura ciuitatis ſuae admitterent, quin et ex parte hoſpites pellerent, vnde ait fructus non modo nullos ſed et maxima detrimenta ad eos redundaſſe. Quare iuſta non eſt *Conyeri Middelton* coniectura, artem medicam, quae florente republica ſeruilis fuit, talem quoque fuiſſe ea inope, nec hic ſilentium auctorum refragari poſſe, cum ibi luculenta teſtimonia loquantur. *h*) De his teſtimoniis quos grauent et quouſque, paulo poſt videbimus, hic tantum ad praecipitem illam doctiſſimi viri concluſionem id reſpondeo, rudem quidem et innocentiorem inque re ſua ſtabilienda aequiorem primam Romanorum aetatem fuiſſe, fauente etiam rerum ſucceſſu creuiſſe luxum et morum corruptelam. Ad *Archagathum* vſque, qui et

Athenienſes poſt cladem ad *Chaeroneam*, attritis iam viribus, ſuccumberent, *Romanis* e contrario poſt *Cannenſem* aliasque clades, imo cum *Italia* pene tota ad hoſtem deficeret, ſemper numerus militum ad excipiendos omnium impetus ſuffecit. Sed diu non durauit illa aequitas. v. p. 17. Not. *f*).

h) *In diſſ. de medicorum apud veteres Romanos degentium conditione contra Iac. Sponium et Rich. Mead. p. m.* 10.

et ipſe peregrinus ac liber fuit, imo ciuis et inter publica beneficia exceptus, nullum omnino luculentum inter medicos ſeruitutis veſtigium eſt. Nec vero deſunt in progreſſu veſtigia ingenuorum medicorum ante Caeſarum ortum, quamuis nec deſit turba medicorum ſeruorum, quos propius iuuat in ſua origine ſcrutari.

§. 6.

Haec ſeruilis *Romani* medici imago qualis primum fuerit, ex *Graecorum* illuſtrari inſtituto poteſt. Poſt *Aeſculapium* tactum *Iouis* fulmine, *a*) ars viſa eſt cum auctore ſuo deficere, ſi *Iſidoro b*) credimus, latuitque per annos fere quingentos, donec eam *Hippocrates* in lucem reuocauit. Latuit omnino, ſed defecit nunquam, latuit in familia *Aſclepiadarum*, qui ab *Aſclepio* ſeu *Aeſculapio* orti in templis Numini huic per plurimas ciuitates excitatis, *c*) quibus

a) Ethic artem medicam *Plinius H. N. L. 29. c. 1.* arguit auxiſſe famam crimine. Nam fabula refert, in poenam ad querelas *Platonis* fulmen a *Ioue* miſſum in *Aeſculapium* ob mortuos quosdam in vitam reuocatos. At reuocaſſe ad vitam non crimen eſt, quid enim diuinius poterat ab arte exſpectari? ſed fabula. Ceterum *Suidas* verius tradit illum peripneumonia exſtinctum eſſe, his vero, quibus id contigit, latera liuere tanquam fulmine tactis.

b) *Orig. L. IV. c. 3.* prope accedunt verba *Plinii* l. c. ſequentia latuiſſe denſiſſima nocte vſque ad *Peloponneſiacum* bellum, tunc reuocaſſe in lucem *Hippocratem*. Ceterum plus eſt interualli quam 500 pene annorum, quos *Iſidorus* ait ab *Aeſculapio* ad *Hippocratem* effluxiſſe. Nam *Argonautica* expeditio, cui ille interfuit, refertur ad A. M 2721, mors *Hippocratis* ad A. M. 3627. Multi periere teſtes, qui de hoc interuallo egerunt, *Eratoſthenes. Pherecydes etc.*

c) Haec templa in *Graecia* et extra eam LXII. *I. H. Schultzius* numerat, nec dubitat, longe plura fuiſſe, in *Hiſt. medic. Per. I. S. II. c. 3. §. 6. p. 117. ſq.* Seorſim ſubiicit ibidem templa *Aeſculapio Aegyptio*, *Iſidi et Serapidi* dicata.

quibus ſui fundi prouentusque et vberes ſatis ex ſacrificiis et donariis conualeſcentium reditus erant, ſacerdotio velut haereditario, in ipſam longa ſucceſſione progeniem cum nouis paſſim cultae artis praeſidiis propagato, fruebantur, aegrotisque ex ore quaſi Numinis ſui conſulebant, neque hinc pro ſuſtentanda magis eorum fiducia extra templa ſua medebantur. Illo igitur aeuo adeo res medica nihil ſeruile habuit, vt quodam potius cum ipſis Diis commmercio niti videretur. Haec gentilitia artis exercendae iura ex primo quidem *Aſclepiadarum* inſtituto non niſi ad natos cognatosque tranſierunt, admiſſis tamen *d*) ſenſim etiam aliis in doctrinae huius et collegii ſocietatem, erectisque non vno loco pro vberiori inſtitutione ſcholis medicis. Imo ſub illis *Aſclepiadarum* in medicinam meritis, nec potuit aliis, quibus cum iis commercium non fuit, imprimis philoſophis, *e*) via praecludi, ne manum huic ſegeti immitterent, et inter aemula ſtudia eo facilius praeualerent, cum ſibi rem ſuam *Aſclepiadae* intra templorum ſepta haberent, *f*) at illi clinicam extra templa medicinam cum maiori aegro-

d) Geminum *Aſclepiadum* genus in *Aſia* ſcholam *Coam* et *Cnidiam*, inter ſe aemulas, condidit, *Rhodia* quidem primum orta, at et primum collapſa et ante *Hippocratem*. *Italica* ſchola philoſophis potius *Pythagoreis* quam *Aſclepiadis* debetur. conf. *Galen. meth. med. L. I. c. 1. Op. Cl. VII p. m. 2. F.*

e) Certe diu extra templa haud medebantur, niſi in caſtris, vel etiam nouiſſimis temporibus, vbi *Aſclepiadae* aeque quam alii publice annuis ciuitatum ſtipendiis conducti in maiori luce viuebant, et περιοδευτὰ lectos aegrotorum adibant. Ipſe *Hippocrates* ex *Aſclepiadarum* familia ortus relicta patria *Coo*, *Aeſculapio* dicata, diues etiam, vt ex *Varrone Plinius* habet, ſpolio tabularum in templo illo, antequam deflagrauit, deſcriptarum, *Theſſaliam* et *Thraciam* medendi ſcopo peragrauit.

f) Secundum *Celſum L. I. praef.* primum pars ſapientiae medicina fuit

aegrotantium, quos adibant, opportunitate ſtabilirent. Verum hic ad illud fine ambagibus propero, ex quo prima ſeruilis medicinae forma nata videtur. Cum antiquiſſima medicina longe ſimplicior non niſi ſuccinctas quasdam medendi leges, obſeruationibus diaeteticis et chirurgicis nixas, comprehenderet, inter collectas ſenſim ex pharmacia aliisque fontibus opes laborare mole ſua coepit, vt medicus oneri ſuo iam aegre ſufficiens leuaretur quidem ad tempus diſcipulorum inter tyrocinia artis miniſtrantium fide et auxilio, oporteret autem in exiguo ſaepe vel prolis vel diſcipulorum numero ſeruulos etiam, per quos viliora et moleſtiora agerentur, inſtruere. Huc multum contulerunt, quae cito inualuerant, athletica et gymnaſtica inſtituta, quibus ab initio nobiliſſimi viri exercebantur. Quae vt ſalubriora eſſent exercitia pro bono et vegeto corporis habitu adquirendo, requiſita eſt medici, quem ὑγιαινὸν adpellabant, victus et vitae ordinem dirigentis, opera. Illius conſilio mox in vſum venerunt crebrae et fere quotidianae frictiones, inunctiones, clyſteres, balnea et ſimilia, quae ad praeſcriptum medici manu ſeruili adminiſtrabantur. Hos quoque ſeruulos neceſſe erat chirurgiae non prorſus rudes eſſe, cum in lucta, pugillatu alioque exercitiorum genere contuſiones, luxationes, fracturae, vulnera paſſim acciderent, praeſentemque

fuit et iisdem auctoribus nata morborum curatio et rerum naturae contemplatio. Ipſe huc refert *Pythagoram*, qui rem certe medicam minime neglexit, et *Empedoclem*, qui medicos cum poetis et vatibus reliquos longe a tergo relinquere credidit, ac *Democritum*, qui in experimentis aetatem triuit. Neque philoſophi ſolum praeter ſacrificulos illos *Aſclepiadas*, ſed et antiqui poetae cultae medicinae ſpecimina dederunt, vt *Linus*, *Orpheus*, *Muſaeus*, *Melampus*, *Homerus*, *Heſiodus* et alii.

que et exercitatam manum expoſcerent. In maiori pretio haec miniſteria erant, ex quo *Herodicus* gymnaſticae medicinae auctor docuerat, per exercitia non modo bonum vegetumque corporis habitum obtineri, ſed et, quod in ſe ipſo expertus erat, a morbis vindicari. Ita liberale vectigal partum eſt ſeruulis, qui medicae diſciplinae in potioribus momentis expertes, opere autem illo, in quo verſari ipſi medici dedignabantur, diu et inter multas encheireſes perfuncti, habitumque pro ſuo ſcopo neceſſarium conſecuti, id, quod prius ex iuſſu et inſtitutione medici egerant, iam ſuis auſpiciis tentare auſi, non in ſolo hoc ſpolio adquieuerunt, ſed et, cum aliptae ſeu vnctores prius vocarentur, mox ob quamcunque cum re medica affinitatem, iatroliptarum imo ipſorum medicorum nomen ſibi arrogarunt. Conſiderari poſſunt vt locuſtae in agro fertili. Id quod docte proſecutus eſt, vt reliqua huius argumenti momenta, Io. Henr. Schvltzivs, *g*) ipſo *Platonis* teſtimonio fultus, qui medicorum miniſtros ὑπηρέτας alios liberos alios ſeruos adpellitans ſubiicit, vtriſque nomen tribui medicorum. Toto vero ſeculo anteceſſit *Platonis* aetas illum *Archagathi* ad vrbem acceſſum, in quam tunc quidem ex rebus *Graecorum* parum adhuc venerat. At finito bello *Syriaco* contra *Antiochum* et *Macedonico* contra *Philippum Romani* viam ad commercium

g) *Hiſt. Med. P. I. S. II. c. 6. §. 37. p. 327.* Locus *Platonis* eſt *de legib. IV. p. m. 536. b. et 537. a.* Addit, cum ſerui plerumque ſeruos curent, neglecta morborum ratione, illa quae vſu proſunt, quaſi exacte ſcientes, tyrannorum inter ſuperbe et pertinaciter imperant, cum liber medicus liberorum morbos probe et a principio expendat, comiter cum aegro et eius amicis verſetur, qubus ſit opus, quantum fieri poſſit, doceat, nec ante imperet, quam perſuaſerit.

mercium cum *Graecis* magis sibi aperuerunt, inprimis cum vindices libertatis eorum videri vellent. Allicere coeperunt tam foecundi scientiarum campi, et vt fruerentur tam varii generis studiis, quibus tamen ipsi impendere operam non satis dignum sua grauitate putabant, magna fecerunt impendia in seruulos bene institutos, grammaticos, librarios, architectos, musicos, pictores et prae ceteris medicos: *h*) nam etiam a *Graecis Romam* translata erat diaeta athletica. Quis enim nescit, quae huc pertinent, *Romanis* breui quotidiana fuisse? coenare multum, somnum protrahere, mane vomitu ventriculum leuare, clysmate aluum eluere, a meridie vngi, exerceri, fricari, lauari, idque in prospera non solum sed et titubante valetudine. Vix domus erat, nisi valde inopum, vbi locus non esset aptus ad exercitationes, inunctiones et balnea, ipsis etiam in villis, velut eleganter suo in *Laurentino* PLINIVS *i*) omnes gymnasii partes exponit. Hic igitur operam praestabat seruus, improprie medicus dictus, dominum suum ab exercitio fricans, vngens, lauans. Imo in illo luxu diuisa erant munera, cum alii balnea instruerent, alii fornaces curarent, alii vestium curam in apodyterio haberent, alii frictiones ex arte peragerent, alii pilos euellerent, tonderent, raderent, alii articulos motitarent, isque in publicis priuatisque locis mos esset.

h) Quos *Iustinianus* supra omnia seruorum artificia aestimauit. v. *Laur. Pignor. de seru. p. m. 40.*

i) *L. II. Epist. 17. p. m. 129.* vbi omnia suse exponuntur, balinei cella frigidaria, cuius in contrariis parietibus duo baptisteria, adiacens vnctuarium, hypocaustum, nec procul sphaeristerium etc. Ita *Columella* balnearia in villis post meridiem et vsque in vesperam illustria aptari iubet, *de re rustic. L. I. c. 5. p. m. 403.*

esset. In his quis veri doctique medici faciem et officia agnoscit? Quis non degenerasse prorsus hoc nomen intelligit? Promiscue apud veteres communi medicorum nomine occurrunt, qui secant venas, *k*) cucurbitulas ponunt, collyria, clysmata, vnguenta parant, circumcidunt, castrant, et si quid his sordidius. *l*) Ita GALENVS *m*) ait hermiae dissectores, calculi detractores, auricularios, ocularios, dentarios, herbarios, communi nomine medicorum adpellari. Igitur seruitutem, inprimis in certa medicorum classe non inuiti admittimus, vno omnes modulo metiri temeritas est. Vt tamen ingenue dicam, non haec impediunt, quin medicos subinde per omnem artis ambitum bene institutos et in grauioribus morbis tuendae dominorum valetudini pares, inter seruos *Romanos* fuisse agnoscam. Poterat *Caesar n*) mouere equites

k) Neque id salutis semper caussa. *Nero*, quos mori iussit, cunctantes vltra horam, medicis curauit, (ita vocabat) qui venam mortis gratia inciderent. *Sueton. in Ner. c. 37. p. m.* 807. *Commodus* Lampridio teste imitatus medicos sanguinem hominibus emisit scalpris feralibus in *vit. Comm. p. m. 282.* Legimus quoque poenae irrogandae et ignominiae caussa medicos militibus venam incidisse.

l) Haec tamen etiam postrema *Seneca* ad laudem medici refert, et normam inde sapientis sui diiudicat. *Non medicus*, inquit, *phrenetico irascitur, non maledicta in malam partem accipit, nec obscoena, si remediis egent, contrectare, nec reliquias et effusa intueri dedignatur. de constant. sap. c. 13. Vol. I. p. m. 410.*

m) *Ad Thrasybul. c. 24. Op. T. II. p. 105. B.*

n) *Sueton. in vit. Caes. c. 26. p. m. 52*, vbi non tyrones artem gladiatoriam per lanistas sed in domibus per equites *Romanos* ac etiam senatores armorum peritos erudiri voluit. confer *c. 39. p. 53.* vbi in foro depugnauit *Furius Leptinus* stirpe praetoria et *Q. Calpenus* senator quondam, et *Dec. Laberius* eques *Romanus* mimum suum egit. Adeo primum *Caesar* honestis et spectatae vitae hominibus ad scenicas et gladiatorias operas tanquam seruis abuti coepit.

tes et ſenatores, vt ipſi ſeruos in re gladiatoria inſtruerent, quidni ex *Graecis* medicis fuerint, qui principum reipublicae *Romanae* gratiam mereturi, vel pretio adducti, ſeruis eorum traderent, quidquid eximii in arte eſſet? ſaepe fortaſſis in compendio, vt *Theſſalus*, qui totam medicinam intra ſex menſes ſe traditurum promiſit, at et aliquando plenius, ſi capacia boni cultus ingenia obtigiſſent.

§. 7.

Ille incredibilis in cumulandis ſeruis luxus etſi aliquando *Romam*, vt in bello ſeruili, propemodum euertit, *a*) ex altera tamen parte palam fecit, artes, quae *Graecis* in magno honore erant, *Romanis* ſeruiles quidem fuiſſe, at etiamſi ipſi iis vacare infra gradum dignitatis ſuae cenſerent, minime contemtas, ſed pro maximis ſuis diuitiis habitas, vtpote in quibus ingens roboris ſui ac gloriae omniumque in vita opportunitatum momentum poſuerunt. Latuit omnino in his animatis domeſticae fortunae inſtrumentis maximus rerum gerundarum neruus, vt quamuis ad easdem operas liberorum hominum manu et miniſterio vti poſſent, nihilominus per ſeruos mallent res ſuas, quin et ingenti cum fructu alienas, adminiſtrare, quod impendii minus, obſequii plus eſſet.

a) Ne dicam de primo ſeruili bello ſub *Herdonio Sabino*, quod magis tumultus fuit, notum eſt alterum ſub *Euro Syro* cruentius *Siciliam* vaſtans, quam in bello *Punico* factum eſt, mox etiam renouatum ſub *Athenione*. Ibi *Perpenna* hic *Aquilius* rem reſtituit. In illo denique, quod a *Spartaco* excitatum eſt, totis viribus imperii opus fuit, donec *Licin. Craſſus* pudorem Romanum adſereret. v. *Flor. L. III. c. 19. et 20.*

esset. *M. Crassum b)* legimus architectorum tantum et fabrorum circiter quingentos habuisse, quibus magnam partem vrbis vastatam flammis, vel desertam et vili pretio emtam refecit, areae spatia vendidit, et aedificantibus locauit. Sic alios nullius non generis seruos habuit, ratus, regenda omnia per seruos esse, hos per patremfamilias, cui gloriosum sit, instructis varia arte ingeniis imperare. In quo numero proceres nobilesque reipublicae etiam seruos medicos habuisse, eosque haud infimi semper ordinis, idque ad vltimos vsque *Romani* imperii terminos, refragari non ausim. Nam *Iustinianus* aestimato per legem seruorum pretio, medicos sexaginta solidis censeri voluit. *c)* Cui seruitio non repugnat, *Iul. Caesarem* omnes medicinam *Romae* professos, et liberalium artium doctores, quo lubentius et ipsi vrbem incolerent, et ceteri adpeterent, ciuitate donasse, *d)* *Augustum* quoque et successores eius passim nouas medicis immunitates et insigniora priuilegia contulisse. Intellectu enim facile est, sub his medicos comprehendi non posse, qui iam serui erant, nec sine laeso dominorum suorum iure in libertatem vindicari poterant. Stul-

tum

b) *Plutarch. in vit. M. Crassi Op. T. I. p. 543. E.* Ita habuit ἀναγνώστας, ὑπογραφεῖς, ἀργυρογνώμονας, διοικητὰς, τραπεζοκόμους etc. *p. 544. A.*

c) Sanxit *L. III. Cod. Com. de legat.* seruos et ancillas artium expertes XX, cum arte aliqua XXX, notarios L, medicos vtriusque sexus, id est, obstetrices etiam, LX solidis aestimari. Solidus et aureus in legibus *Romanis* non differt, libra vero auri sub *Iustiniano* LXXII aureos comprehendit, de quo plus egit post *Budaeum* et *Hottomannum*, *Gronouius*. Exile sane pretium, ferreo seculo *Iustiniani* non aureo *Augusti* dignum, ceterum euincens, etiam tunc inter medicos adhuc seruos fuisse.

d) *Sueton. in vit. Caes. c. 42. p. m. 81.*

tum eſt, inquit *Caſaubonus*, *e*) ſuſpicari, aliis quam iam ante liberis haec iura ciuitatis collata eſſe. Inde vero ſequitur, ſeruos medicos non modo ſub poteſtate dominorum ſuorum manſiſſe, ſed et eo difficilius, quo maiora artis ſpecimina ediderint, ſuis ſe vinculis expedire potuiſſe, et licet verum fortaſſis ſit, quod CICERO perſuadet, *f*) ſeruos frugi haud quinquennio diutius ſeruari, ſed in libertatem emitti, ſortem tamen ſeruilem medicorum, ſi non in natis ſemper, certe in aliis, quos ad eandem artem inſtruere oportuit, propagatam eſſe liquet. Hoc tamen ipſum, *Romam* ſeruos medicos habuiſſe, non illud excludit, habuiſſe eodem tempore liberos et ingenuos, nec dici medicinam ſtudium ſeruile et ars illiberalis meruit. Cui enim diſciplinae non ſimile aliquando iugum incubuit. *g*) Accidit hic, quod hominibus liberis, alias vtiles vitae artes profeſſis, et in certa collegia deſcriptis, quibus prohibere integrum non fuit, ne quis nobiliorum domi aleret ſeruos eadem praeſtantes. Mixta fuit haec ſeruorum et liberorum conditio, vt vtrinque eadem agerentur, neque in vrbe ſolum ſed et ruri. Quid *Romanis* magis familiare erat, quam agros ſeruis colendos tradere? At ſuadet VARRO liberos hic habere mercenarios, cum in alio opere ſub idem tempus ſerui occupari vtilius poſſint. In villis, ait, praeſtare vicarios habere medicos, fullones, fabros, quam ſeruos alere, a quibus idem exſpectes. *h*)

Patet

e) *Ib. c. 4.*

f) *Orat. Phil. VIII. 11. Op. Vol. II. p. 1455.*

g) Fuerunt ſerui rhetores, grammatici, poetae, paedagogi, philoſophi, vt Terentius, Epictetus. Tempore Perſii ex libertinis iudices eligebantur docente *Iſ. Caſaubono ad Satyr. V. v. 79.*

h) *De re ruſtic. L. I. c. 17.* conf. *I. H. Schultzii comp. H. M. L. II. c. XI. §. 516. p. 260.*

Patet ſimul, nec per agros defuiſſe medicos, nec id mirum videri poſſe, in illo temporum luxu cum morbis creuiſſe medicos. Vidimus ad *Archagathi* aeuum iuſtam ſuſpicionem non eſſe de ſeruis medicis, qui ſero a *Graecis* ad *Romanos* peruenerunt, quamuis valere illud *Senecae* de ſtatu illo priſcae medicinae poſſit, paucarum herbarum ſcientiam fuiſſe, quibus ſiſteretur fluens ſanguis et vulnera coirent paulatim. *i*) Nec multo iuſtior ſuſpicio eſt de interuallo, quod *Archagatum* inter et Caeſares ſiſtit medicos, *k*) quod tamen non minus quam antecedens et ſubſequens aeuum perpetuae ſeruitutis poſt *N. Robortellum* aliosque *C. Middleton l*) arguit, qui contra *Iſ. Caſaubonum*, quem primum ait de ſeruili conditione Romanorum medicorum dubitaſſe, et *Iac. Sponium*, qui ſeruitutem illam vanum *Robortelli* commentum vocat, et *Rich. Mead*, qui nihil medicis ſeruile et humile adſcribi permittit, *m*) diſputans ſopitos crabrones nouo auſu irritauit. Is paſſim

i) *Ep. 95. Op. T. II. p. 448. 449.* Paulo poſt *p. 461.* neſciebant, inquit, multa antiqui medici, non erat neceſſe circumſpicere multa auxiliorum genera, cum eſſent periculorum pauciſſima. Nunc vero quam longe proceſſerunt valetudinis mala.

k) In illo interuallo plus medicorum mentio in auctoribus occurrit. Cum *Archagatho* iam *Plautus* vixit et paulo poſt *Terentius*, qui paſſim medicorum meminerunt, in quibus certe ſeruitutis nota non eſt. Quaeſtus cauſſa indies plures ex *Graecia* veniebant, infinitis autem eo tempore *Graecis* ius ciuitatis datum eſſe ſub acceſſu, *Cicero* pro *Archia* notat. Probat lex *Aquilia* Caeſaribus antiquior nec niſi ciuibus ſcripta actionem in medicos licuiſſe imprudentiae et errorum in medendo reos *inſtit. IV. tit. 3.* quod certe notat, ſeruos non fuiſſe.

l) *In diſſ. de medicorum apud veteres Romanos degentium conditione contra Iac. Sponium et Rich. Mead. Cantabr. 1726.* it. *defenſione eius contra anonymos.*

m) *In orat. anniu. Haruei.* vbi *p. 14.* ſimul cum ingenuis multis et doctis

paſſim ambigua auctorum verba in ſiniſtrum ſenſum ſaepe detorſit. *Senecam* putat ad humillimos mortalium medicos retuliſſe, *n*) cum hoc vnum dixerit, diuitias humillimis aliquando medicorum obtigiſſe. An medicorum honori derogat, viliſſimis etiam fortunam fauiſſe in colligendis opibus? Cur non potius alia, quibus ille medicinam et medicos ornat, elogia vir bonus attendit? Medicinae, inquit *Senecae*, apud aegros vſus apud ſanos etiam honos eſt. *o*) Si honos artis in artifices redundat, quis hos mortalium humillimos adpellabit? Luculentius *Seneca* omnium, inquit, apud nos medicorum et praeceptorum magna caritas, magna reuerentia eſt, et vt pluris quaedam ſunt quam emuntur, rem ait a medico emi inaeſtimabilem, vitam ac valetudinem bonam, a praeceptoribus ſtudia liberalia et animi cultum. *p*) Paulo poſt ſic pergit: plus debeo medico et praeceptori, nec aduerſus eos mercede defungor, quia ex medico et praeceptore in amicos tranſeunt, et nos non arte ſed benigna et familiari voluntate obligant. *q*) Quis haec verba honoris plena cum illis contumeliae plenis in vno ore conciliet? nec haec poſtrema in ore potius interpretis

doctis viris non paucos ſcientia et fortunae bonis inferiores illis temporibus Romam veniſſe putat, qui etſi non medicamentis, ſed manu curarent, medici tamen adpellabantur; hos in diuitum et magnatum clientelam ſe contuliſſe et ſeruos egiſſe, donec ciuitatem conſequerentur, inde libertos nomen familiae alicuius *Romanae* adſumſiſſe, nec raro ſi ingenium litteris excoluiſſent, internis morbis mederi auſos in cenſum clinicorum veniſſe.

n) *l. c. p.* 27.
o) *De clement. L, I. c.* 2. *Vol. I. p, m.* 429.
p) *De benefic. L. VI. c.* 15. *Vol. I. p.* 796.
q) *ib. p.* 799. vbi pulchre imaginem officioſi medici depingit, qui inter ſollicitos adſidet, ad ſuſpecta tempora occurrit, et cui nullum miniſterium oneri, nullum faſtidio eſt.

terpretis corrupta existimet? Nec multum mouet censorem nomen amicorum, quod cum summis aeui viris medicos saepe coniunxit, et merito ab iis seruilem maculam abstergit. *Iulii Caesaris* a praedonibus capti comitem *Plutarchus* amicum, *Suetonius* medicum adpellat, *Robortellus* ex sola opinione, amicum dici non posse, qui medicus fuerit, contra omnem codicum fidem in *Suetonio* etiam vocem amici substituit, merito vapulans ab *If. Casaubono*, qui falsum esse ait omnes Romae medicinam profitentes seruos fuisse, illud vero falsissimum, medicos non magnatum *Romae* amicos saepe habitos dictosque esse; quod quo iure omnino fiat, pulchre vidimus *Senecam* exposuisse. Non secus se res habet cum *Artorio Augusti* medico, quem *Vellcius*, *Florus*, *Valerius Maximus* et alii medicum eius, *Plutarchus* et *Appianus* amicum vocant, et eius somnio monitum *Augustum* in praelio *Philippensi* ex tabernaculo excessisse memorant, oppressum alioqui, quae imminebat, hostili irruptione et captis a *Bruto* castris. *s*) Ille vero *Artorius t*) est, cuius magnificum monumentum *Romae* repertum Abbas *Garofalus* post *Car. Patinum* illustrauit, iconem *Dan. Clericus* dedit. Et

quis

r) *Sueton. in Caes. c. 4. p. m. 14. Caesarem* apud praedones cum vno medico et cubiculariis duobus mansisse scribit. Primus *Robortellus* pro medico amicum hic substituit, ita enim comitem illum Caesaris *Plutarchus* vocat in *vita Caes. Op. T. I. p. 703. A.* At *If. Casaubonus* ad l. c. auctori illi mutatae temere lectionis ineptias obiicit et vanitatem.

s) *Plutarchus in Brut. Op. Vol. I. p. 1003.* scribit *Caesarem* ipsum in commentariis suis prodidisse, amicum eius *M. Artorium* somnium, quo iussus ille castris excedere, habuisse. *Valer. Maxim. L. I. c. 7. p m. 74. Artorium* medicum vocat.

t) v. *Car. Patini comment. in Cenotaphium huic Artorio a Smyrnensibus positum p. 440.* et *Abbatem Garofalum in P. I. diss. miscell.* denique iconem in *Dan. Clerici H. M. P. II. L. III. c. 4.*

quis non *Charicli* habitus honos eſt, quem *Tacitus* medicum arte inſignem et *Tiberii* familiarem vocat? Is a coena imperatoris velut ad propria negotia digrediens et per ſpeciem officii manum *Tiberii* amplexus pulſumque venarum, quo labi ſpiritum didicit nec vltra biduum duraturum, attingens non quidem fefellit callidum ſenem, hic vero, incertum an offenſus tantoque magis iram premens inſtaurari epulas iuſſit, et vltra ſolitum diſcubuit, quaſi honori abeuntis amici tribueret. *u*) Quis in ſeruum, etiam dum ira animi aeſtuat, tantum prodigat lenocinii? Neque id facile ignoſcendum eſt *C. Middletono*, quod artem, immunitatibus licet et opibus auctam ac priuilegiis munitam, inter liberales locum habuiſſe neget. *x*) Dum in ſeruorum manu fuit, ſub exili cultu tam deformis, poterat nonnihil dubitare, de repurgata illa et dignioribus manibus cum fauore et beneficiis principum vindicata inique dubitat. Si priſcis, vt ipſe agnoſcit, ars proprie liberalis dicta eſt, quae non victus et lucri tantum cauſſa, ſed et animi erudiendi et oblectandi ſcopo maxime colitur, hoc ſane fructu, qui nos in omni laborum taedio conſolatur, adeo non caret medicina, vt PLVTARCHO iudice nulli liberalium nitore copia et iucunditate cedat. *y*) Nec aliter ſentit SENECA, vbi artes pleraſque

u) *Tacit. Annal. L. VI. c. 50. p. m. 385.* confer *Sueton. in Tiber. c. 72. p. m. 507.* *Chariclem* e conuiuio egredientem remanere et recumbere hortatus eſt, coenamque protraxit.

x) *l. c. p. 9.*

y) *De tuend. ſanit. Op. T. II. p. 122. D.* τῶν ἐλευθερίων τεχνῶν ἰατρικὴ τὸ μὲν γλαφυρὸν καὶ περιττὸν καὶ ἐπιτερπὲς οὐδεμιᾶς ἐνδεέστερον ἔχει.

rasque, imo ex omnibus liberaliſſimas, vt medicinam, decreta ſua non ſolum praecepta habere iudicat. *z)* CICERO de artificiis liberalibus et ſordidis diſquirens, ad haec opificia refert et artes voluptatum miniſtras, ad honeſtas vero, quibus prudentia maior ineſt et non mediocris vtilitas, vt medicinam et architecturam. *a)* Arctior eſt artium, quae liberales vulgo et propedeuticae vocantur, numerus, quam vt artes ſtatim illiberales dicas, quae eo non comprehenduntur. Bene ISIDORVS mota quaeſtione; cur in vulgari numero artium liberalium medicina non ſit, quia, inquit, omnes ſub ſe comprehendit. *b)* Quid ad haec C. MIDDLETON? prouocat ad iurisconſultos, qui a ſtudiis liberalibus medicinam diſtinguunt. Nam decuriones ſalaria decreuiſſe leguntur vel ob liberalem artem vel medicinam. Sic ab oneribus variis excipiuntur liberalium ſtudiorum antiſtites, et qui medendi cura funguntur. *c)* Diſcrimen video nominis non meriti. Quis credat gradu dignitatis differre, qui gradu beneficiorum coniunguntur? Agnoſcit, neceſſariam medicinam eſſe, et cum liberalibus ideo artibus eadem priuilegia et immunitates conſecutam. Sed quid non

z) *Ep. 95. Op. T. II. p. 122. E.*

a) *De offic. L. I. c. 42. Vol. V. p. 854.* Opponit *C. Middleton*, humiles etiam artes, quibus propter vitae ſortem conueniunt, adferre laudem, et probroſis tanquam honeſtas opponi *in defenſ. contr. anonym. p. 32.* Id, quidquid fuci eſt, non cadit in *Ciceronem*, qui nullas res propius accedere ad Deum dixit, quam ſalutem dando hominibus.

b) *Origin. L. V. c. 13.* artes liberales ait ſingulares continere cauſſas, medicinam vniuerſas, cognitas illas medico eſſe debere.

c) Alterum *L. IV. de decret. ab ord. faciend.* Alterum *L. I. de cod. et decret. decur.* Ipſe vero ICtus cauſſas communium priuilegiorum notat, vt facilius nempe illis ſtudiis inſtruant alios. *L. III. cod. Theodoſ. de med. et prof.*

non in ipſa illa neceſſitate veri honoris ac decoris? Sit philoſophia, inquit QVINTILIANVS, *d*) res ſumma, ad paucos pertinet, ſit eloquentia res admirabilis, non pluribus prodeſt quam nocet, ſola medicina eſt, qua opus omnibus, nulla tam neceſſaria omni generi humano quam medicina. IVLIANVS *e*) dixit artem hominibus ſalutiferam, quam merito Philoſophi praedicauerint coelo delapſam. Adiiciam inter haec teſtimonia, quae ſub primis Caeſarum ſeculis medicis eximie fauent, verba LVCIANI: medendi ars quanto eſt honoratior vitaeque conducibilia, tanto conuenit eſſe liberiores, qui eam exercent, et iuſtum eſt, vt ars in exercendi facultate aliquod priuilegium habeat, nec cogatur, nec imperio ſubiiciatur res ſacra, Deorum doctrina, ſapientum hominum ſtudium. *f*) Neque vero inficior illam laudem ad medicos *Graecos Romae* degentes maxime pertinuiſſe, idque iam eo tempore, quo totam medicinam *Romae* ſeruilem eſſe credebatur. Ab obitu *Catonis*, qui medicis non fauit, ad ortum *Caeſaris*, qui iis ius ciuitatis adferuit, quadraginta circiter annorum interuallum eſt, quo *Graecis* facilis in vrbem acceſſus fuit, nec lucri et honoris parum. Vnum hic nominabo ASCLEPIADEM *Bythinium*, virum ingenuum et ex rhetore medicum, qui gratiam, qua medicina per *Archagathi* duriorem methodum excidit, ſua mitiori, quae cito tuto et iucunde mederi docuit, facile recuperauit, vt in tanta fama non eſſet,

d) *Declamat.* 268. *Ed. Burm. p.* 506. Contendunt orator, medicus, philoſophus; quis magis proſit ciuitati?

e) *v. Gothofr. ad. L. IV. cod. Theod. de med. et prof. p.* 30.

f) *In abdic. Op. T. I. p. m.* 724.

esset, cur Regi *Mithridati* per legatos et inter splendida munera ad se inuitanti aures praeberet. *g*) *Scribonius Largus h*) maximum medicinae auctorem, *Apuleius i*) inter ceteros medicos, si *Hippocratem* excipis, principem dixit, ipse *Cicero* eo amico et medico vsum se esse scribit. *k*)

§. 8.

Romanos omnino sero in illa *Graecorum*, qui hunc campum occuparunt, affluentia res medicas attigisse, et vix ante Caesarum ortum, facile largior. Nam qui ipsum huc referunt *Virgilium*, *a*) quem *Tib. Cl. Donatus* scribit praeter litteras graecas et latinas omni cura omnique studio indulsisse medicinae et mathematicae, imo *Ciceronem*, quem *C. Barthius b*) haud dubitat inter medicos numerare,

g) Vinum indulsit etiam meracius, grata balnea, ambulationes, frictiones, gestationes et iactatum in suspensis lectulis pro somno alliciendo, damnans contra emetica et purgantia, tanquam stomacho inimica. *Plinius* ait fauentibus cunctis vniuersum prope genus humanum in se circumegisse, non alio modo, quam si coelo emissus aduenisset. *H. N. L. 26. c. 3. p. m. 542.*

h) *In epist. ad C. Iul. Callistum.*

i) *Florid. L. IV. p 362.*

k) *L. I. orat. c. 14. Op. Vol. I. p. 359.* Idem de *Asclapone* medico, quem *Seruio* commendat, *vtor eo*, inquit, *medico valde familiariter, eiusque cum consuetudo mihi iucunda fuit, cum ars etiam, quam sum expertus in valetudine meorum, in qua mihi tum ipsa scientia cum etiam fidelitate beniuolentiaque satisfecit. Epist. famil XX. L. XIII. Vol. III. p. 382.* Fuit quoque *Craterus* Ciceronis aeuo tam celebris medicus, vt nomen eius pro magno medico sumeretur, velut apud *Horat. L. IV. sect. 3. Pers. Sat. III. 65.*

a) *In vita P. Virgilii Maronis p. 2.* Medica quaedam ex eo excerpsit *Tiraquellus de nobil. c. 31. §. 214. Thom. Bartholin. de poetis med.*

b) *Aduers. L. 38. c. 3.* Notitiam aliquam anatomes colligunt ex *L. II. c. 15.*

numerare, vix attendunt; de viris nos loqui in exercitio artis verſatis, non aliquo, vt variae eruditionis, ita medicae, colore tinctis. Solam hanc artium Graecarum, teſtatur de medicina *Plinius*, nondum exercere *Romanam* grauitatem. c) Addit in tanto fructu: vt hanc grauitatem intelligas meram eſſe nec ſine probro cunctationem, quae veluti cultu ſuo reliquas artes diu ſatis, ita hanc in tanto fructu etiam diutius deſtituit. Subiicit tamen, ne id ſine omni limite dixiſſe videatur, pauciſſimos *Quiritium* eam attigiſſe, quin et hos ſtatim ad *Graecos* transfugas fuiſſe. Pauciſſimi ſine dubio erant cum *Graecis* comparati, his vero ex veteri cultu et ipſa lingua; in qua res maximi in medicina momenti ſcriptae erant, maior ſine dubio doctrinae auctoritas fuit, vt *Latinos* homines non modo praecepta artis a *Graecis* petere oporteret,

c. 15. de Nat. Deor. medendi rationem ex *Ep. IV. ad famil. L. XVI. I. S Bergerus binas diſſ. de Cicerone medico ſcripſit.*

c) *Hiſt. Nat. L. 29. c. 1. p. m. 496.* Haec verba *C. Middleton l. c. p. 8.* pro more exaggerat: adeo *Romae* ars cum dedecore iacuit, vt ſolam eam *Graecarum* artium grauitate ſua indignam iudicaret. Rurſus *p. 22.* exclamat: infimus quisque grauitate ſua indignam iudicauit. Quam indignum docto viro eſt, etiam quod ſanum ſenſum habet, temere exulcerare!

d) De quibus paſſim varia. *Caſſium*, quem vidit ipſe, ſeculi ſui ingenioſiſſimum medicum *Celſus* adpellat *L. I. praef.* De *Arruntio* medico *Domitiani*, forte illius, quem *Plinius* habet, filio vel nepote ſcribit *Reineſius in Ep. 46. ad Rupertum p. 396.* lapidem eius ſiſtit *Cl. XI. Inſcr 3.* In *Rubriorum* nummis anguem conſpicuum, Deae ſalutis ſignum, pro monumento familiae, laudem medicinae ſibi vindicantis, adſumit *Rich. Mead in Or. anniu. Harv. p. 16.* et miratur, *Patinum* ac *Vaillant* inter cauſſas longe petitas, quas pro explicandis nummis illis attulerunt; illam omiſiſſe arti ſuae tam honorificam Rodit et haec *Middleton* et mauult *l. c. p. 72.* viros illos ſeruos familiarum fuiſſe, a quibus nomen geſſerunt;

teret, ſed et linguam *Graecorum* magis ſibi familiarem reddere, quin et in ea ſcribere, quod transfugarum nomen peperit. Recenſet autem ipſe *Plinius* celeberrimos medicos, *Caſſios*, *Calpetanos*, *Arruntios*, *Albutios*, *Rubrios*, *d*) ex inſignibus familiis, vt *Marſ. Cagnatus* probare cum aliis nititur, *e*) ortos et Principum valetudini, quod ibidem *Plinius* docet, inter magnos reditus praefectos; ducena enim et quinquagena ſeſtertia annuam eorum mercedem fuiſſe, *f*) *Stertinium* vero imputaſſe principibus, hoc eſt, haberi beneficii loco voluiſſe, quod quingenis annuis contentus eſſet, cui in vrbe fuiſſent numeratis domibus ſexcena. *g)* Merces profecto non ſeruilis ſed artis merita liberali pretio aeſtimans! Fuerunt alii magnae famae medici, ſtatim ſub ortu Caeſarum, vt *Aemilius Macer*, quem ad *Aemiliam* gentem *Heinſius h)* refert, magnus *Virgilii* et *Naſonis* amicus, *i)* poeta et medicus. Fuerunt *Iulius Baſſus*, qui ſub *Auguſto* vixit, et amicus eius *Sextus Niger*, ex cuius ſcriptis multa hauſit *Dioſcorides. k)*. Et quomodo illum Romanorum *Hippocratem*, medicorum *Ciceronem*, *Aur. Cornel.*

Celſum

e) *L. II. var. obſ. c. 15.*

f) *Guil. Budaeus de aſſe p. 35.* illa ducena et quinquagena ſeſtertia, ſeu quod idem eſt, 250000 ſeſtertiûm ad 6250 aureos reducit. *Harduino* ſunt 25000 librae monetae gallice ad l. c. *Plinii.*

g) Illa quingena *Harduino* ſunt 50000 illa ſexcena 60000 librae. *Rich. Mead l. c. p. 15.* priorem ſummam ſuperare ait ter mille et ſexcentas libras monetac Anglicae. Par fratri *Sterlinii* merces a *Claudio* Caeſare fuit. Cenſus quanquam exhauſti *Neapoli* operibus exornata haeredi reliquere trecenties centena millia ſeſtertiûm, id eſt, ex *Harduini* calculo 3000000 librae. v. *Plin. l. c.*

h) Ad *Ouid. L. IV. ex Pont. Ep. 16. v. 6.*

i) Amicitiam cum *Virgilio Seruius* probat ex *Eclog. V. 1*; vbi *Menalcas Virgilium*, *Mopſus Aemil. Macrum* notat. Amicitia cum *Naſone* patet ex huius *L. IV. triſt. El. X. v. 44.* vbi eum vocat aeuo grandiorem; floruit enim ineunte principatu *Auguſti.*

Ceterum

Celſum omittam, quem *Columella l)* inter celeberrimos aetatis ſuae auctores refert, natum, vt *Clericus m)* ſuſpicatur, ſub *Auguſto*, ſcribentem ſub *Tiberio*. Addo *Scribonium Largum*, qui ſub *Claudio* floruit, et *Meſſalinae* vt viuentis adhuc meminit, *n)* diſcipulum *Vectii Valentis* medici, ipſo *Meſſalinae* adulterio nobilitati. Occurrunt, ſi longius progredimur, *Qu. Serenus Sammonicus*, quem ſub *Seuero* florentem *Macrobius* doctum ſeculo ſuo virum vocat, *o)* et *Iul. Auſonius Valentiniani* archiater, cuius quoque filius *Decius Auſonius* poeta a *Langio* et *Tiraquello* inter medicos refertur. *p)* Nec copia ſolum medicorum Romanorum eſt, quos ab aliis plenius recenſitos dubitare vix poſſis ingenuos fuiſſe, ſed et artem principes *Romanorum* amplexi ſunt. Ne de *Claudio* dicam, qui argumentum publico edicto dignum cenſuit, docere omnes, ad viperae morſum nihil aeque facere quam taxi arboris ſuccum, *q)* alii non defuerunt, qui acutius quid commodi culta ars promitteret, inſpexerunt. *Adrianum* legimus *Graeculum* dictum eſſe, quod diſciplinam *Athenienſium*, vt illam medendi, coluerit, et ſaepe bis vel ter de die ad aegros acceſſerit. *r)* Certe

Ceterum alius eſt, qui eius nomine hodie extat, liber, illatis tamen priſci Macri fragmentis.

k) Id notat *Salmaſius in prolegom. homon. Hyl. iatric. p. 9.*

l) v. *de re ruſtic. L. I. c. 1. et L. III. c. 17.*

m) *Hiſt. med. P. II. L. 4. S. 2. c. 4.*

n) Patet ex *Comp. 60*, de *Valente* praeceptore ex *Comp. 94*. Huius vero cum *Meſſalina* adulterium ex *Tacit. annal. L. XI. c. 31. Plin. H. N. L. 29. c. 1. p. m. 494.*

o) *Saturn. L. II. c. 12. p. m. 364.* Fuit hoc nomine pater et filius. Dubites, vtrius poema ſit, quod hodie exſtat ſub titulo, *de medicina praecepta ſaluberrima.* Fere omnes tribuunt auctores patri, *Morgagne* filio in *epiſt. in Ser. Sammonic. ad Vulp. p. 100.*

p) Pater dicitur praefectus *Illyrici* et *Valentiniani* ſenioris archiater apud *Gerh. Io. Voſſium de philoſ. c. 12. §. 31.* Multum ſe profuiſſe ex illius libris fatetur *Marcellus in praef. L. de medic.* Filius etiam, cuius carmina exſtant, ob artem *Paeonius* dictus eſt, de quo vide *Io. Langii L. I. med. ep. 70.* et *Tiraquell. de Nobil. c. 31. §. 248.*

q) *Sueton. in vit. Claud. ad finem c. 16.* Res fere ridicula, cum taxus ſucci tam inops ſit. *Plinius H. N. L. XVI. c. 10.* taxum deſcribit virentem minus gracilem triſtem diram ac nullo ſucco, baccis vero lethalem, in Hiſpania praecipue.

r) v. *Aurel. Victoris Epitom. c. 14. p. m. 82.* confer *Spartian. in vit.*

te ſub primo Imperatorum ortu aſſeri magis et in tutum collocari dignitas medicorum coepit. Poſt *Iul. Caeſarem*, quem omnibus medicis ius ciuitatis tribuiſſe vidimus, *Auguſtus Antonio Muſae*, cuius opera ex ancipiti morbo conualuit, pecuniae multum, ius aurei annuli et immunitatem dedit, hanc quoque omnibus eam artem in poſterum exercentibus. *s*) Confirmata haec immunitas eſt, quae a tutela liberauit, a recipiendis hoſpitibus, a militia, a vectigalibus tributisque pendendis, et extenſa ad filios coniugesque edictis eſt *Veſpaſiani*, *Adriani*, *Antonini* aliorumque. *Alexander Seuerus* annonas et ſalaria ex publico medicis conceſſit, *t*) locupletius omnia *Conſtantinus*, *Iulianus*, *Honorius*, *Theodoſius* confirmarunt. *u*) Inter tot beneficia non poterant non oblitterari magis notae ſeruitutis. Docent inſcriptiones, prima ciuitatis munera multos medicos geſſiſſe, *x*) docet nomen ſtipendiorum, cum ſeruorum peculium eſſet, nomen coniugum, cum ſeruorum contubernales dicerentur, ius patronatus, et quod ipſi medici ſeruos et libertos haberent, haec non niſi ingenuorum eſſe. Diſpenſari a tutela, res non eſt, de qua quaeſtio in ſeruum cadit. Et quantum archiatrorum dignitas eminuit! At praeiuerunt multi, hunc campum longe plenius emenſi, vt paruum nobis ſpicilegium ſufficiat, ex quo conſtare poſſit, non iniquam in medicos *Romam* fuiſſe, imo nec in ipſos ſeruos, quos fere ceteris omnibus cariores habuit.

Adrian. c. 9. p.m. 41.

s) *Dion. Caſſ. H. R. L. 53. Ed. Reimar. p. 725.* His addit *Suetonius* ſtatuam collato aere iuxta ſignum *Aeſculapii* a populo poſitam, *in vit. Aug. c. 59.* De iure annuli aurei medicis dato, v. *B. Briſſon. L. II. antiqu. iur. c. 3.*

t) *Ael. Lamprid. in Alex. Seuer. c. 42.* Medicus ſub eo vnus Palatinus ſalarium accepit, ceteri omnes annonas binas aut ternas.

u) Sic *Conſtantinus in L. III. Cod. Theod. de med. et prof. Valentinianus in L. X. 16.* conf. *L. VI. cod. Iuſt. de prof. et med.* Fuſiſſime de his agunt, *Dan. Vinck in amoenit philol. med. c. 6. p. 272. ſq.* et in primis *Henr. Lampe in diſſ de honore priuil. et iuribus ſingul. medic. C. 11. §. 27. ad 35. p. 99. ſqq.* it. Ill. *Schlägerus de medicorum apud veteres conditione. Helmſt. 1740.*

x) *v. Sert. Vrſat. monum. Patau. p. 126.* de *Sextumuiro Auguſtali.* conf. *Gruter. Inſcr. p. 480. n. 11.* Senatorem medicum tempore *Ciceronis* v. apud *Cleric. in H. M. P. II. L. III. c. 12.* *Romae* collegium 60 virorum *Aeſculapii* et *Hygeae* publicis legibus ſancitum ex antiquo marmore *Sponius* illuſtrat. *Miſcell. erudit. ant. p. 144.*

* * *